Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1335
Quelle:
Copyright:

non alias vias improbando alias oblatas sed facto atque execucione difficiles ostendendo. Incipit: *Sanctissimo in christo domino Benedicto* &c. *Deuota sue beatitudinis filia vniuersitas studij parisien.* &c. *Quoniam pater beatissime ante aliquot menses vestro adhuc antecessore in humanis agente ad abolendum scisma nequissimum* &c. *Bulaei* T. *cit.* p. 740.

Ad calcem nobis additur: *Expliciunt Epistole per N. de Clamengijs sub nomine Vniuersitatis parisien. circa materiam ecclesiastice vnionis edite.* Absunt omnes ab editione *Lydii*, quamvis p. 191. earum texat elenchum. Eundem texit et *Joh. Launojus* in *Acad. Paris. illustr.* p. 578. ineditas reputans, quod mirum, cum *Caes. Egassius Bulaeus* 14. annis ante suae illas *Historiae* inseruerit, ut vidimus. Illud iterum monendum, eas in praesenti *Cod.* frequentissime abire a *Bulaei* et *Dacherii* dictione, diligenterque inspiciendas ab eo, qui olim *Nicolai Clamengii* lucubrationibus, verius ac *Lydius*, inscribere voluerit: *Opera Omnia.*

XII. *fol.* 140. p. 2. *Incipit tractatus breuis contra prelatos simoniacos.* Initium: *Multa mihi in presulibus nostris hodiernis* &c. Legitur Philippica haec *Clamengii* nostri in *Bibl. PP. Marg. de la Bigne* T. VIII. *Paris.* 1576. p. 650. et in edit. *Lydii*, qui eam ad *Joh. Gersonem* scriptam adserit, p. 160. Ad calcem: *Explicit tractatulus compendiosus de statu cleri et prelatorum temporum hodiernorum.*

XIII. *fol.* 144. p. 2. *Incipit Sermo N. de Clamengiis de Innocentibus.* Initium: *Nota est tiranni herodis. nolo enim regem dicere nepharia atque tragica crudelitas* &c. Finis: *cuius nos et vos cum vestra prole benedicta consessores efficiat ihesus christus dominus noster, qui cum patre* &c. Inter inedita *Clamengii* recensetur a *Launojo suprac.* p. 579.

XIV. *fol.* 147. p. 2. Ejusdem *Orationes* X. quarum *Prima*, quae incipit: *Deus deus respice in me* &c. et *Secunda: Erravit domine ouis misera* &c. nullum certum finem habent; reliquae *Octo* Horis Canonicis praemittendae sunt. Earum initia habes apud *Launojum* in elencho ineditorum p. 579. *Lydius* eas ignoravit. Ad calcem in *Cod.* nostro: *Expliciunt quedam breuia opuscula Nicolai de Clamengijs Cantoris Baiocensis.*

XV. *fol.* 152. p. 2. *Incipit liber N. de clamengijs de nouis festiuitatibus.* Initium: *Non puto conveniens esse* &c. Extat T. VIII. *Bibl. PP. Marg. de la Bigne Paris.* 1576. p. 633. et apud *Lydium* p. 143.

XVI. *fol.* 165. *Incipit liber de Studio Theologico Nicolai de Clamengijs.* Initium: *Non fuit animus vir diserte, quando ad tuam ante aliquanta tempora caritatem* &c. Edidit *Dacherius* T. VII. *Spicil.* p. 138. aitque scriptum ad *Johannem de Pedemontio* Baccalar. in Theologia. *Lydius* ignoravit.

XVII.